

mark sita cum agris, pratis, pascuis et eorum attinenciis vniuersis, Juste in perpetuum possidenda. Ita videlicet quod dominus gwido decanus lundensis, qui nunc est, et successores sui, decani lundenses, qui pro tempore fuerint, dicta bona sub ordinacione sua libere habeant, et anniuersarium dicte domine, modo qui sequitur, teneant ex eisdem. primo in die anniuersarii sui, ad offerendam dent duas oras denariorum, canonicis, qui vigiliis et misse interfuerint marcham denar. vicariis. duas oras denar., ad lampadem ardentem ante corpus christi in ecclesia fratrum predicatorum lundis, quatuordecim oras denar., fratribus predicatoribus *ibidem* duas oras, fratribus minoribus *ibidem* duas oras denar., et siquid residuum fuerit de fructibus dictorum bonorum, hoc cedat dicto domino decano, libere, et suis successoribus annuatim. voluit preterea et protestata fuit domina predicta quod si aliquando contigerit propter karistiam temporis, uel alios casus quoscunque, redditus dictorum bonorum non sufficere ad soluendum omnia superscripta. quod quatuordecim ore denar. ad lampadem ardentem ante corpus christi in ecclesia fratrum predicatorum lundis, omni anno sine diminucione qualibet exsoluantur. et defectus fiat in aliis distribucionibus antedictis. In cuius rei testimonium sigilla nostra cum sigillo dicte domine presentibus duximus apponenda. Datum lundis, anno et die supradictis.

Sigillen: N. 1—3 och 5—13 bortfallna, remsorna kvar; N. 4 finnes, skadadt.

1688.

1310 d. 17 Juli.

Helsingborg.

Freds- och Föreningstractat mellan Konungarne ERIK i Danmark, HÅKAN i Norge och BIRGER i Sverige, Hertig CHRISTOPHER af Halland och Samsö, Grefve GERHARD af Holstein och HENRIK af Mechlenburg å ena, samt Hertigarne ERIK och WALDEMAR i Sverige å andra sidan.
L. k. 6.

Omnibus præsens scriptum cernentibus ERICUS Dei gratia Danorum, Sclavorumque, HAQUINUS Norvegiæ, BIRGERUS Sveciæ Reges, CHRISTOPHORUS Dux Hallandiæ et Samsö, GERHARTUS Comes Holsatiæ, et HINRICUS Dominus Magnopolensis, salutem in Domino. Noverint universi, quod Anno Domini M^o CCC. X. sexta feria proxima ante festum Mariæ Magdalenæ in villa Helsingburgh, inter nos ex parte una, et Dominos Ericum et Waldemarum Duces Sueorum, in modum qui sequitur extitit placitatum parte ex altera, videlicet quod nos ipsis Ducibus contra quascunque personas, in causis quibuscunque astare fideliter debeamus, et quod omnes discordiæ, dissensiones, et inimicitæ inter nos, homines nostros et fautores ex una parte, et ipsos Duces, homines ipsorum et fautores ex altera hactenus motæ et habitæ,

terminatæ sint totaliter et sopitæ, ita quod nos Rex Daciæ prædictus Comitatum terræ Hallandiæ cum omnibus juribus, libertatibus et distinctionibus, tendentibus usque ad fluvium Ethre. Si Dominus Christophorus Dux Hallandiæ frater noster hoc sibi suo vendicaverit juramento, quod si sibi non vendicaverit, tunc termini dicti Comitatus protendentur usque in medium fluvii supradicti, sicut ipsum Comitatum tenuit Comes Jacobus in quieta et commoda possessione antequam inbrigaretur, cum munitionibus, hominibus et universis aliis quæ nobis competebant in dicto Comitatu, dictis Ducibus et eorum veris hæredibus assignavimus et concedemus jure feudali, quod Fanelent dicitur, et manu coadunata pacifice possidendum ponte castro Falkenbergh supra dictum fluvium situato, ipso Domino Christophoro Duci Hallandiæ in suo situ libere reservata, et ipsi Duces Sveciæ prædicti eorumque veri hæredes ratione dicti Comitatus nobis et nostris successoribus homagium facient, et nobis servient in causis nos et nostrum regnum tangentibus, cum sexaginta viris, armis et dextrariis expeditis, quandocumque ad mensem antea nostro nomine fuerint requisiti, et cum terminos prædicti Comitatus cum eisdem exiverint sub nostris lucris et dampnis erunt ac expensis. Præterea Dominus Dux Ericus prædictus renunciabit omni impetitioni, quam habet ad regnum Norvegiæ, et ad Domicellam Ingheburgh, filiam Magnifici Principis Domini Haquini Regis Norvegiæ, sibi aliquando desponsatam, quæ Domicello Magno, filio Regis Sveciæ, fratris nostri matrimonialiter est jungenda, ad quod dicti Duces Sveciæ tenebuntur efficaciter adjuvare. Idem tamen Domicellus Magnus dispensationem super dicto matrimonio contrahendo a sede Apostolica si poterit, impetrabit. Insuper Dux Ericus prædictus Domicellam Sophiam, filiam Domini Nicolai Domini de . . . et sororis nostræ, ducet sibi legitimam in uxorem, et super matrimonio contrahendo cum eadem dispensationem a sede Apostolica tenebitur impetrare. Item captivi utriusque partis libere dimittantur; Ita quod quidquid pro sui liberatione in parato non exposuerunt de cætero nullatenus exponere teneantur. Item Dominus Rex Norvegiæ prædictus cessare debet ab omni impetitione, qualiscumque fuerit, contra nos, sive fuerit de aliquibus litteris sibi datis, fidejussionibus, donationibus, seu aliis quibuscumque litteris omnibus, si quæ sint datæ inter nos, Daciæ, Norvegiæ, Sveciæ Reges, et Christophorum Ducem Hallandiæ ex parte una, et Duces prædictos ex altera, integraliter restitutis, quæ si restitutæ non fuerint, in nullo robore penitus permanebunt. Item si nos Rex Norvegiæ has placitationes ratas et firmas servare voluerimus, tunc ipsi Domini Duces castrum Konighald nobis restituent, et captivi hinc inde libere dimittentur. Si vero has placitationes habere noluerimus, tunc ipsi Duces dictum castrum Konighald tenebunt et captivos, et nos Rex Daciæ dictos Dominos Duces Sveciæ contra eundem Dominum Regem Norvegiæ Haquinum non debemus impedire

in aliquo, nec juvare. Item nos Rex Norvegiæ antedictus dictos Dominos Duces permittemus uti suis distinctionibus, quas habuerant ab antiquo; quod et nobis debent patere vice versa. Item prospectos et expulsos pro morte patris nostri Regis Daciæ prædicti, et ipsorum hæredes non debent colligere nec fovere ipsi Duces supradicti. Item, homines nostros Erics Regis Daciæ, si qui nos offenderint, non debent ad se recipere, nec pro ipsis contra nos aliquo modo placitare. Item Ecclesia Lundensis, personæ Ecclesiasticæ et mundanæ uti debent in dicto Comitatu Hallandiæ suis bonis, juribus et libertatibus, quibus uti antiquitus consueverunt: et nos Reges et Principes supradicti præmissa omnia et singula firmiter et inviolabiliter in suo robore, prout in suis articulis sunt expressa, opservare promittimus fide super hoc præstita corporali. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum Anno Domini M. CCC. X. loco et tempore supradictis.

Enligt teckningen under afskriften i E. 80. b. 5, hafva funnits qvar, ehuru betydligt skadade, Konung Eriks tvesidiga och Hertig Christophers, Grefve Gerhards och Herr Henriks ensidiga sigill.

1689,

1310 d. 18 Juli.

Riseberga.

INGRID ANDERSDOTTERS af Kalfthorp testamente af Moa gård samt hälften i Onastum, hvaraf andra hälften säljes, till Riseberga kloster, hvarest hon väljer sig grafställe.

A. 3. n.

In nomine patris et filij et spiritus sancti Amen. Ego INGRIDIS ANDREE FILIA de kalfthorp. Considerans nichil morte cercius et nichil incercius esse hora mortis. et de bonis mihi a deo concessis. anime mee cupiens salubriter providere sanctimonialibus in Risæbergh apud quas. meam eligo sepulturam confero Curiam meam quam hereditavi post patrem meum. in Mogæ. cum omnibus mobilibus et immobilibus. Molendinis. siluis. piscariis. pratis. agris. pro vsibus suis. qualitercumque uoluerint. ordinandam. infra sepes et extra. prope uel remote sibi adiacentibus. ita quod dictam Curiam statim post Mortem meam supradicte sanctimoniales in sua habeant potestate. Jpsis eciã confero medietatem. III^r solidorum. et duarum ulnarum terre in Onastum. et medietatem uendo. Ad maiorem uero huius mee donacionis ratificacionem presens scriptum sigillis nobilium principum ac dominorum. Erics et waldemari ducum swetie et sigillo sororis mee Ingeburgis postulo Roborari. presentibus eciã uiris fidedignis. fratre Johanne et fratre brodde. anundo de Iudhgudwi domino anundo et domino astone. quando ipsis. eandem Curiam contuli et eorundem uenerabilium principum sigilla postulavi. Datum